



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVI. Argumentum. Triplici similitudine Magistri, Medici, ac Patris suadentur Parochi providere sibi de Confessario stabili, qui secum agat Officium supradictorum trium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

comprehenduntur, & de contra nomine laborum etiam expensæ veniunt intelligendæ, cap. Ad nos tram. De Reb. Eccl. non alien. Cum autem expensæ aliæ sint necessariae, aliæ utiles, & aliæ ad voluptatem; primæ, & secundæ tantummodo sunt deducendæ per creditorem circa conservationem pignoris. Sylvest. Verb. Pignus quest. 12. Sæ num. 8. & Salas d. dub. 28. num. 3. in fin.

II. Quarta conclusio. Equus datus in Pignore (ut in casu) alendus, & gubernandus est expensis mutuatarii; ideo distinguere oportet, an sit equus conductitius, vel agrarius, ex quo lucrum haberi possit; vel sit equus emisarius, cujus, opera nihil lucretur. Primo modo, si à me mutuatore alimentatur equus, possum illo uti juxta meas indigentias; dummodo utilitas, quam percipio ex usu equi non excedat expensas cibarias ejusdem, & mercedem laboris in illius gubernio; super quibus expediret pacisci, & convenire cum Mutuatorio, & quatenus lucrum superet expensas, debet in sortem computari; alias esset Usura. Navar. in Man. cap. 17. num. 204. Secundo modo, si equus non est actus laborare, & lucrari, alendus est à mutuatorio; & ego eo uti non debeo absque licentia mutuatarii, nisi forte pro incolumitate equi, ne nimis otietur in stabulo. Ita, in terminis equi pignori dati, Tamburin. de Tripl. Jur. dict. lib. 9. tract. 1. cap. 6. §. 1. num. 5. Bonacina dict. tom. 2. De Contr. disput. 3. quest. 10. punct. 1. num. 10. & 11. & Azor. 3. part. lib. 7. cap. 7. Reginald. lib. 25. num. 589. & Cardinal. de Lugo d. disp. 25. num. 130. 131. & 132. ubi advertit, ad vitandam usuram circa fructus pignoris optimum remedium esse, si id quod datur mutuanti, non detur in pignus, sed vendatur pro debito, cum pacto retrovendendi, quando idem pretium sibi reddatur; tunc enim per venditionem mutuator factus est dominus, & fructus intermedi temporis ad eum pertinent, dum tamen vendatur pretio justo saltem infimo, quod tale erit, etiam si sit infra pretium commune, propter pactum retrovendendi, quod facit rem minoris valere.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Triplici similitudine Magistri, Medici, ac Patris suadentur Parochi providere sibi de Confessario stabili, qui secum agat officium supradictorum trium.

SUMMARIUM.

1. Confessarium unum, & eundem an expediat semper habere?
2. Confessarius gerit officium Magistri, Medici, ac Patris.
3. Homines instruendi sunt ab aliis hominibus.
4. Exempla SS. Patrum, qui ab aliis hominibus sunt eruditi.
5. Nemo sibi ipsi fidere debet intelligentia rerum spiritualium.
6. Stultus est qui credit esse sapiens.
7. S. Augustini mira humilitas.
8. Medici sibi ipsis mederi non solent.
9. Infirmitates spirituales à Confessario curanda.
10. Mortificatio cur nominetur Crux?
11. Patre spirituali quam ob causam quilibet indigeat?
12. S. Ambrosii documentum de utilitate Patris spiritualis.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Quot, & quæ sint causæ, quibus expedit unicuique Parochus habere Confessarium suum determinatum, cui conscientiam suam aperiat, & omnium operationum suarum rationem reddat?

Ad hunc casum dictum fuit, tres esse principales causas; scilicet, quia Confessarius vicem gerit Magistri, Medici, & Patris. Porro omnis Parochus ut in suo munere rectè procedat, (pro ut etiam quisque mortalium) eget Magistro, qui eum instruat; Medico, qui ei medeatur; & Patre, qui illum in via spiritus fovere, & solari valeat.

Magistro eget Parochus ad sui ipsius instructionem; siquidem hæc est provida ordinatio Dei, ut homines instruantur non ministerio Angelorum, nec tantum inspirationibus celestibus, (quod si vellet, Deus efficere posset) sed alterius hominis, Confessarii scilicet, documentis. Hinc Moyses (etsi familiaris esset cum Deo) à Jetro audivit optimum consilium deputandi Judices in sui levamen. Exod. 13. Samuel ter vocatus à Deo voce simili, qua vocabatur ab Heli, ad eum currere prius fecit, quam sibi Deus loqueretur, ut sciremus ad Sacerdotem Confessarium nostrum recurrendum esse, ut in rebus dubiis intelligamus voluntatem Dei. 1. Reg. 3. 4. Josue profecit submissus Moyse, Elifas Eliaz, Paulus Ananias, deinde Petro, & aliis Apostolis; paucique fuerunt, quos immediate Deus erudierit in rebus spiritualibus, ut auctoritate S. Gregorii Papa ostendit P. Ludovicus à Ponte S. Jesu in opere inscripto Quidam spirituale part. secunda. tract. 4. cap. 2. per totum. B. Joannes à Cruce in Ascensu Montis Carmeli lib. 2. cap. 22. & Rodriguez In Exercit. Perfect. p. 3. tract. 7. à cap. 1. & seqq. Idcirco ait Dominus: Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Matth. 18. 19. Non dixit Unus, sed duo; quia ut confiderat B. Joan. à Cruce d. cap. 2. neminem sibi ipsi soli fidere debet circa rerum spiritualium intelligentiam; sed Magistrum, Dei Ministrum, assumere oportet; alias, Va soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Eccl. 4. 10. & rationem manifestam reddit S. Bernard. Epist. 27. nam Qui se sibi magistrum constituit, stultus se discipulum subdit. Cum igitur in tot rebus dubiis Parochus indigeat consilio, & instructione aut pro se, aut pro ovibus suis, optimum est, ut proprium Confessarium sibi determinet, quem frequenter tanquam Magistrum consulat, & cujus ore Deus ei voluntatem suam sanctissimam notam faciat.

Nec objiciat quis, Parochum adeo sapientem esse posse, ut nullius egeat consilio: quandoquidem talis assertio indicat stultitiam, non autem sapientiam, sicut scriptum est; Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. Prov. 12. 5. Et observatu dignissimum est testimonium S. Augustini, qui de se sene, & tantis literis, & prudentia ornatissimo dixit; Ego senex à juvene, ego Episcopus tot annorum à Collega nondum amiculo paratus sum doceri; ut habetur in cap. Si habes. 34. quest. 3.

Medico pariter Parochus opus habet, ut propriis spiritualibus infirmitatibus, (passionibus scilicet, fragilitatibus, & aliis animi ægitudinibus) medeatur, juxta illud: Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit; & non discedat à te, quia opera illius sunt necessaria, Eccl. 38. 9. Circa

quem duo sunt notanda. Unum, quod nullus, etiam medicinali arte pollens, solet, mederi sibi ipsi. Alterum, quod mutatio medicorum ægro nocet, salubris autem est unius, ac ejusdem Medici assistentia, quod cecinit etiam Poeta dicens:

*Me centum tetigere manus Aquilone gelatas
Non habui febrim Symmache, nunc habeo.*

9 Igitur opus est, ut quilibet Ecclesiasticus statuatur sibi ordinarium Confessarium, quem tantquam Medicum habeat, ut ab eo medicinales monitiones excipiat in suis spiritualibus infirmitatibus, neque ab eo recedat, credens sibi ipsi medendum; nam sicut Deus noluit, aliquem posse seipsum absolvere à peccatis, sive Episcopum, sive Papam; sed ut alteri se subiciat Sacerdoti, ordinavit; ita, ad remedia efficacia obtinenda, voluit, ut spiritualiter ægri ab alio ea peterent; exemplo Naamani Syri leprosi, quem non mundarunt aquæ Damasci, sed aquæ Jordanis, ut habetur. 4. Reg. 5. 10. quia jussu Elisæi Prophetæ ad illas accessit, ut notat Rodriguez dict. part. 3. tract. 7. cap. 4. in fin. Ratio autem hujus necessitatis est aperta, quia proprius amor impedit, ne quis sui ipsius infirmitatem agnoscat, teste D. Basilio de Constitution. Monac. capitul. 23. & eò minus eligere valeat antidota, & pharmaca convenientia ad mortificandas inordinatas passionibus. Hinc factum est, ut à Redemptore Nostro mortificatio Crux fuerit appellata; nam sicut nemo aptus est seipsum

10 Cruci affigere, sed altero est opus, à quo crucifigatur, ut perbellè considerat P. Ludov. de Ponte dict. Guida spirituale part. 2. tractat. 4. cap. 2. §. 3. num. 2. ita nullus mortificationes sibi ipsi valet præscribere; sed prudentia, consilio, ac directione mystici Medici, nempe Confessarii sui, uti debet.

11 Patre tandem benigno, qui illum consoletur, eget quisque Ecclesiasticus; nam, ut ait dict. P. Ludov. de Ponte dict. cap. 2. §. 1. num. 3. La strada della Virtù è aspra, e lunga; & assai contraria all' inclinazione, e gusto della nostra carne; onde nasce, che chi nuovamente la comincia, patisce gran tristezze, & afflizioni gravi tedii, e timori, e s' egli non ha compagnia, che le consoli, rallegri, & inanimi nel cammino, segli suole fare intollerabile. Hor grandemente importa non voler pigliare solo sgram fatica; ma eleggersi un buon amico, per compartirla seco, e con la cui comunicazione si renda facile, e tollerabile poichè come dice S. Ambrosio lib. 2. de Offic. cap. 16. gran consolazione di questa vita è avere qualche fedele amico, a cui possi scoprire l' animo tuo, con cui comunichi i tuoi segreti, & in cui depositi l' intrinseco del tuo cuore; il quale ami, & in ogni cosa seguiti; il quale con viscere di padre compartisca le tue avversità, e nelle persecuzioni t' ajuti, e si rallegri teo nelle tue prosperità; felice tal compagnia, e tal amicitia; poichè non è cosa nel mondo più dolce di quella. Idem prosequitur S. Ambrosius dict. lib. 2. de Offic. cap. 20. S. Bernard. lib. de Ord. Vitæ, S. Thom. 1. 2. quæst. 38. art. 2. S. Franciscus Salesius in Introduct. ad Vir. devot. part. 1. capit. 4. S. Theresia Rodriguez d. p. 3. tract. 7. cap. 2. & Marcantius in Hort. Pastor. Virg. Aaron. tract. 5. cap. 1. num. 7. Quos authores si Parochi, alique Ecclesiastici legere non detrectaverint, optimum, ac saluberrimum esse cognoverint, Confessarium pium, & prudentem sibi deligere; eique non solum conscientiarum

maculas, sed etiam quoscumque affectus, & propensiones humiliter aperire; ejusque monita servare.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur celebris Quæstio; An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acceptæ? Rationes tum pro affirmativa; tum pro negativa, quæ amplectitur; etiam sub fœdere distinctionis utraque conciliatur. Motiva tum Parochis, tum Concionatoribus invadendi contra Usuras, ac illicitos contractus.

SUMMARIUM.

1. Usurarius an dominus fiat rei per usuram acceptæ?
 2. Traditione rei acquiritur dominium.
 3. Voluntas solventis Usuras an sit libera?
 4. Matrimonium habentis simplex votum castitatis valet.
 5. Res uni promissa, & alteri tradita sit hujus, cui traditur.
 6. Usurarii valide emunt alienas res cum pecunia usuraria.
 7. Elemosyna facta ab Usurario valet.
 8. Donare censetur rem non debitam tradens.
 9. Restitutio facienda ab Usurariis etiam re perempta.
 10. Lucrum ex negotiatione cum pecunia Usuraria sit ejusdem negotiantis.
 11. Traditio rei sine justo titulo non transfert dominium.
 12. Fructus rei usuraria spectant ad mutuatarium.
 13. Mutuatarius præfertur aliis creditoribus in re tradita Usurario.
 14. Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.
 15. Consensus defectus causat nullitatem actus.
 16. Pharmaceutum nullum legale contra defectum consensus.
 17. Mutuatarius non præsumitur consentire in usuram.
 18. Argumentum de parte ad totum valet.
 19. Res per usuram accepta est omnino restituenda.
 20. Usurarius est fur, & latro.
 21. Simoniacus non acquirit dominium rei per Simoniam acceptam.
 22. Res per Usuram accepta quando transeat in dominium Usurarii?
 23. Rei per Usuram soluta dominium remanet apud mutuatarium.
 24. Restitutio imponenda etiam iis, qui rem ab usurario acquisiverunt.
 25. Usura, ac contractus illiciti quos motivis redarguendi?
 26. Usurarium infamis, ac odiosa conditio.
- Sudant tam Theologi, quam Jurisperiti in decidendo.

AN Usurarius acquirat Dominium rei per Usuram acceptam? Alii affirmarunt, alii negarunt, alii distinxerunt.

Affirmantes adduxere sequentes rationes, Primò. Traditio rei, ab ejus domino facta cum voluntate transferendi dominium, ipsius translationem operatur. §. Per traditionem. 40. Instir. de rer. divis. ubi Imperator ait; Nihil enim tam